

vita animalis (scilicet sensitiva) tandem vita hominis: sed in illo priori, quo vivit vita plantæ, seu animalis, non producitur planta, seu animal in comuni: ergo in singulari: quia actiones sunt circa singularia: tunc sic: sed in illo tunc, hoc vivens & hoc animal, non sunt sub aliqua specie a thoma; cum talis non intelligatur producta: ergo immediate sunt sub genere viventis, & animalis.

Respondet prædictus Author: quod Embrio prius informatur anima vegetativa; deinde anima sensitiva: & ultimo anima rationali: & sic semper est Embrio in aliqua determinata specie, saltem imperfecta: quia tales formæ, cum non sint anima in communi, sunt determinatæ, & infimæ speciei.

Secundo respondet, sensum autoritatis esse de prioritate, quam inter se habent prædicata superiora, quæ prioritas naturæ, non est, in qua vnum prius in re existit: sed quæ a superiori, ad inferius, non valet subsistendi consequentia. Hæc sunt solutiones huius Authoris ad propositum spectantes: nam prima, quam adhibet, iam supra quæst. 4. de genere, conclus. 2. impugnata manet.

Sed contra: quia solutiones istæ seipsas destruant: de prima patet: nam Embrio, ut recipit esse vegetativum; & in esse viventis singulari constituitur: hoc vivens quæ appellatur; si in aliqua specie determinata collocatur: vel talis species est a thoma, seu infima; vel non: si primum: implicatur quia talis species dicitur ab eo imperfecta, & contrahibilis: quod cum specie a thoma stare non potest. Tum etiam, quia licet sit species a thoma, non est illa, de qua loquimur: nos enim loquimur de specie a thoma addente generi differentiam aliquam essentiali, & extrinsecum genus: quare quamvis animal, respectu huius, & illius animalis, sit species a thoma: quod libentissime faceretur: non tamen est, sicut homo, respectu Petri, de qua Articulus intendit: & ita talis species a thoma ab isto Doctore assignata non est ad rem; & implicat ab illo ita appellari. Si autem talis species non sit a thoma: ut revera ipse faceret, habemus in entium: nam talis solum immediate respicit sua individua: ut animal hoc animal: & illud: & ut sic, dicitur species infima: & mediate respicit Petrum, & Ioannem, & ut sic, dicitur genus: nam mediante homine, respicit illos: & in hoc sensu difficultatem disputamus.

Secunda etiam solutio (etiam si vera sit ad aliud propositum) non tamen ad præsens, nec ad intentum argumenti: nam homo, ut vivit vegetative, non solum vivit tali vita in communi, sed in singulari: v.g. si (ut opinatus est Othmus noster) in homine vegetativa, sensitiva, & rationali, realiter distinguerentur, & homine vivente iam esse vegetativum; natura ultra ad esse sensitivum, per Dei potentiam non progredietur tunc tale vivens. Iset quid singulare: ergo similiter nunc, etiam si anima rationalis detur, tunc hoc triplex esse: primum esse viventis erit singulare: ac per consequens nunc de facto, & in casu argumenti solutio, etiam si de prædicat

tis superioribus, ad aliud propositum intelligi valeat) non valet: & per hoc patet quomodo impugnandæ sint aliæ solutiones aliorum argumentorum, quæ ipse pro nobis facit; & soluit.

Ad argumenta: ad primam & ad probationem ultimam minoris dico, quod substantia prædicatur de hac substantia, tanquam species: nec hoc est contra Porphyrium dicentem: genus generalissimum taliter esse genus, quod non possit esse species: nam loquitur de genere generalissimo, & de specie, prout in recta serie prædicamentali ordinantur, & ut sic, generalissimum non potest esse species: quia tunc necessario includeret genus: & ita non esset generalissimum: non vero loquitur de generalissimo specificatiue sumpto, & extra seriem prædicamentalem, consideratum: nam, ut sic propria habet individua, & species denominari potest.

Ad secundum, nego antecedens: ad probationem distinguo antecedens: differentia individualis completa, & ultima, qua constituitur individuum per se prædicamentale, concedo, quod media specie denominat genus suum singulare: differentia individualis incompleta, de qua loquimur, nego antecedens: quod media specie contrahat gradum communem, quem singularizat: nam inter talem, & suum gradum, nec mediat species, nec requiritur, ut ipsa illum individuet.

Ad confirmationem patet per idem: loquitur enim de singularitate completa; quam, verum est, omnem gradum superiorem, media specie, respicere: non vero loquitur de singularitate incompleta, & immediata cuilibet gradui, & per hoc ad tertium, ac etiam ad locum citatum quæst. 8. de genere: nam ibi solutione ad primam expresse loquitur Doctore de genere in ordine ad individua speciei: non vero in ordine ad propria individua.

Ad quartum, & ad primam partem dico: nullum esse inconueniens, plura individua incompleta, & formaliter solum distincta, in vno individuo completo reperiri: imo, & si realiter distinguantur, dummodo partialia sint: ut patet in hac materia, & hac forma vnum numero physicum componentibus.

Ad secundam partem dicendum, quod sunt idem realiter, distincta vero formaliter: ex qua distinctione, non licet inferre huic hominem esse animal bis: nam hic homo iam concipitur, ut individuum totale: & ut sic, ex individuis partialibus constituitur: ita ut entitas animalis sit entitas huius animalis, & entitas huius animalis sit entitas huius hominis: quare hic homo, & habet entitatem huius animalis, & entitatem animalis, quæ cum sit vna, & eadem entitas: ideo non sequitur inconueniens.

Ad primam.

Ad secundam.

Ad confirmationem.

Ad tertiam.

Ad quartam.

QVÆST. II.

Vtrum ista sit vera: plures homines sunt vnus homo?

Participatione enim speciei, plures homines sunt vnus homo. Cap. eod.



VAERITUR, de veritate istius: plures homines sunt vnus homo: quod sit vera videtur: quia sequitur: participatione speciei, plures homines sunt vnus homo: ergo plures, &c.

Antecedens est verum per Porphyrium: ergo & consequens: probatio consequentis: quia nihil diminuitur ab alio; nisi ponatur ex parte eiusdem extremi: sed participatione speciei ponitur in antecedente a parte subiecti: & vnus non: ergo vnus non diminuitur in antecedente.

Item, quando aliquid se habet ad aliqua simpliciter, & secundum quid: si addatur sibi aliquid determinans secundum quid; stat tantum pro illo: sed ly vnus se habet ad vnum numero simpliciter; & ad vnum specie, secundum quid: ergo cum sibi addatur in proposito nomen speciei, scilicet, homo, tantum stabit hic pro vnitatem speciei: & sic est vera propositio: ergo simpliciter est vera.

Tex. com. 11.

Item, secundum Arist. 5. Metaph. vniuersaliter secundum quod aliqua habent in aliquo in diuisionem; sic sunt vnum in illo: plures homines in homine habent in diuisionem: quia forma hominis vniuersaliter inest eis: ergo sunt vnus homo.

Item, vterque istorum est vnus homo: ergo plures homines sunt vnus homo: antecedens est verum: quia vterque istorum est singularis: probatio consequentis: quia oppositum consequentis, scilicet, tantum vnus homo est vnus homo; non stat cum antecedente: scilicet, vterque istorum est vnus homo: quia ibi attribuitur vnus homo subiecto ad minus pro duobus.

Ad oppositum: si plures homines sunt vnus homo: ergo per conuersionem sequitur: vnus homo est plures homines: consequens est falsum: quia sua contradictoria est vera: scilicet, nullus homo est plures homines.

Itē, in subiecto, & prædicato accipitur idem sub oppositis modis, qui non sunt separabiles a significato, secundum quod significatur per istas dictiones: ideo propositio falsa.

Ad questionem dicendum: quod vnus potest accipi categorématique: & sic significat differentiam entis: & sic de eo loquitur Arist. 5. & 4. Metaph. & tunc diuiditur ab Aristotele ibidem 5. Metaph. in multos modos. Vltimo autem in cap. de vno ponuntur quatuor modi, ad quos omnes præcedentes reducuntur: scilicet, vnum numero: vnum specie: vnum genere: & vnum proportionem. Si vnum categorématique se habet æquiuoce ad hæc quatuor: tunc sumpto vno sic, adhuc distinguenda est propositio penes æquiuocationem vnius categorématique: & pro tribus sensibus est vera: sed pro quarto est falsa, scilicet, pro vno numero.

Tex. com. 8. & idem tex. com. 12.

Si autem; sicut forte verius est; vnum se habet, ad hæc quatuor, ut ad simpliciter, & secundum quid: quod videtur ex dictis Arist. 5. Metaph. vbi dicitur: quod ad vnum numero sequitur vnum specie; & vterius genere, & proportionem: & non e conuerso: quasi minor ratio veritatis sit vno specie, quam numero: & genere, quam specie: tunc dicendum est: quod propositio est falsa: ut vnum est categorématique: quia cum hic nihil sibi additur contrahens ad vnitatem secundum quid, stat tantum pro vno numero, quod est vnum simpliciter.

Tex. com. 12.

Aliter sumitur vnum; ut est syncategorematicum: & sic dicit modum intelligendi terminum pro supposito determinato, indeterminate tamen: & homo sic sumptus pro supposito non inest subiecto: ideo sic propositio est falsa: nihil enim est in subiecto, virtute cuius pollet vnus homo confundi, & accipi pro diuersis: quia copulatio non confundit: quia tunc hæc esset vera in sensu composito: duo, & duo, sunt duo: quod falsum est: in illo enim sensu, est hæc vera: duo, & duo;

duo, sunt quatuor: ex quibus sequitur: quod quatuor sunt duo: quod est impossibile: ergo altera præmissarum in sensu composito, in quo inferunt illam conclusionem:

Ad primum argumentum nego consequentiã: ad probationem dico: quod illa determinatio intelligenda est de prædicato sic: plures homines sunt vnus homo participatione speciei; id est, in participando speciem.

Ad secundum dico: quod determinabile non contrahit determinatione, sed e conuerso: maxime non ad secundum quid: unde hic, homo mortuus, non stat mortuus secundum quid: licet aliquando contrahat ipsum ad supposita. nam hic, homo albus, stat album tantum pro albo in homine.

Ad tertium dico: quod non valet consequentia, sunt indiuisa in homine, siue in forma hominis: ergo sunt vnus homo, vel homo indiuisus: quia in antecedente significatur homo, vt habens ratione determinationis respectu vnus, sed in consequente, vt determinabile.

Ad quartum dico negando consequentiam: ad probationem dico: quod illud, quod ponitur loco consequentis; si sit vnum: vt hic, iste, & iste, sunt vnus homo: est vera in sensu diuisionis; licet non compositionis: non enim habet pro opposito, tantum vnus homo: sed hanc: non plures: quod bene stat cum antecedente: quia hic negatur prædicatum a pluribus, sumptis per modum plurium: quod ibi affirmatur de pluribus, sumptis per modum vnus: quia ibi diuisum, huic, & illi (est enim vterque signum diuisiuum) hic coniunctum ambobus.

Vel potest concedi, quod stant simul: tantum vnus homo est vnus homo: & vterque est vnus homo: quia enim vterque distribuit pro suppositis diuisum, non excluditur aliquod suppositum hic: tantum vnus homo. sub illa ratione, qua pro eis distribuit vterque.

Alias compositionis licet non diuisionis.

Summa textus simul & explicatio.

Circa quoddam dictum exemplificatiuũ Porphyrij cap. de specie: vbi incidenter ponit numerũ Prædicamentorũ, & ordinatorum in Prædicamento: & consequenter infert duo correlatiua corollaria: quorũ secundũ est: quod descendẽdo à generalissimis ad specificissimã, oportet ire per multitudinẽ, & diuisionẽ: sed e contra ascendendo, oportet ire per compositionem: cuius causam subdit: quia omne commune est collectiuum multorum: & magis comune est magis collectiuũ: vt genus, quã species: & ideo, inquit, plures homines, participatione speciei, sunt vnus homo: de hac propositione exemplificatiua, scilicet, plures homines sunt vnus homo: sic absolute sumpta: inquit Doctor, an sit vera, nec ne? In qua Quæstione quam plurima, nimisque difficilia pertractat; quã omnia in hac breui summa explicabimus: quia Articulos mouere circa illam non ad hoc caput præcipue, sed ad alia explicanda conducit: & ideo illos ommittimus: & ad rem deuenientes veritatem prædictæ propositionis probat quatuor argumentis.

1. Arg. Primo arguendo per locum a parte in modo ad suum totum, seu ab inferiori ad superius affirmatiue sic: participatione speciei plures homines sunt vnus homo: ergo absolute sequitur, plures homines sunt vnus homo. Antecedens patet: tum per Porphyrium: tum quia in antecedente, ly plures homines, ratione ly participatione speciei, a parte subiecti, est quid inferius, seu minus commune, & ita est pars in modo: vt homo albus respectu hominis; ergo ab illo recte infertur consequentia.

Dices: quod ibi arguitur cum determinatione diminuente: quia, ly speciei, in antecedente, diminiuit vnitatem: & in consequente sumitur ly vnus homo absolute, sine tali determinatione: unde cum vnum specie sit minus vnum, quã vnum numero, quod est maximum vnum; minus vnum non potest inferre maximum vnum: & ita non tenet consequentia. Contra: nam omnis determinatio: siue sit contrahens, seu restringens, quã facit terminum teneri pro paucioribus, quã si per se sine illa poneretur: siue sit diminuens, quã licet non tollat de ratione formali termini, bene tamen partim perimit quoad communitatem, indifferentiam, vel quoad suppositionem: siue sit distrãbens seu destruens, quã tollit totalem rationem illius, cui additur: quęcunq; igitur istarum sit; debet poni cum suo determinabili ex parte eiusdem extremi, subiecti, scilicet, aut prædicati: sed in antecedente ly participatio ne speciei, quã est determinatio, ponitur ex parte subiecti; & ly vnus, quod est determinabile, ponitur ex parte prædicati: ergo ly vnus non diminiuitur a ly speciei: ac per consequens in antecedente, & in consequente, stat pro vnitate numerali.

Secundum argumentũ, probat oppositũ primi,

mi, licet vtrunq; veritatem propositionis probare conetur: primum enim ostendit ipsam esse veram de vnitate numerica: hoc secundum vult esse veram de vnitate specifica: quod se formatur sumẽdo pro maiori hanc regulam famosam: Quando aliquid se habet ad aliqua simpliciter, & secundum quid, si sibi addatur aliquid determinans ad secundum quid, stat tantum pro illo: sed ly, vnum se habet ad ly, vnum numero simpliciter: quia tantum vnum numero est verẽ, & simpliciter vnum, & ad vnum specie se habet secundum quid: quia vnum specie est vnum secundum quid: & diminiuit: ergo cum in hac propositione addatur ly, homo, quod est nomen speciei, ly, vni, hoc prædicatum vnus homo statit pro vno in specie: & ita propositio est absolute vera.

3. Sentent. Tertio arguit a diffinitione vnus habita quinto Metaph. text. 11. scilicet, vnum est indiuisum a se, & diuisum a quolibet alio: sed humanitas est forma quidditatiua communis omnibus hominibus: ita vt in illa sint indiuisi: ergo absolute propositio est vera.

4. Argum. Quarto, arguit Logice, seu potius sophistice, fundatq; se in illa regula: Quod semper est consequentia bona: quando oppositum consequentis non stat cum antecedente: & sic arguitur. Vterque istorum est vnus homo: quia quilibet est singularis: ergo plures homines sunt vnus homo: patet consequentia: quia oppositum consequentis, nempe: tantum vnus homo: nõ stat cum antecedente scilicet, vterque istorum est vnus homo: quia vnus homo in antecedente ad minus accipitur pro duobus.

Ad opposi. Ad oppositum arguit duabus rationibus: prima procedit per conuersionem simplicem: & talis patet: secunda procedit ex repugnantia subiecti, & prædicati: subiectum enim, scilicet, plures homines, sumitur sub modo pluralis: & prædicatum, scilicet, vnus homo sub modo singularis: qui modi inter se, & respectu eiusdem simul repugnant: & ita in propositione prædicatur oppositum de opposito: quare propositio videtur simpliciter esse falsa. Et quamvis hæc secunda ratio de vnitate specifica; sicut & de numerica, idem probare videatur: non ita se res habet: nam ly, vnus homo specificẽ sumptus, etiam si quoad nomen sit numeri singularis; non tamen quoad suppositionem: supponit enim pro pluribus: at tamen numericẽ sumptus vtroque modo est numeri singularis: & idẽd argumentum non vtrouique procedit.

Nota. Pro intelligentia aduertit in præsentĩ, & 4. Metaph. quæst. 2. quod vnum dupliciter ad propositum sumitur: categorematicẽ, & syncategorematicẽ: primo modo communiter passio entis appellari solet: quod debet sane intelligi: quia, vt sic, adhuc dupliciter sumitur, vel large, & simpliciter, & est passio simplex entis: vel strictẽ, & secundum quid; & est passio entis disuncta multitudini opposita: & vt sic quinto Metaph. text. 12. diuiditur in vnum numero, specie, genere, & proportionẽ: de qua diuisione, an sit æquiuoca, vocis, scilicet, in significationes; an Analoga simpliciter, & secundum quid; dubitatur loquitur; quamvis ad secundum magis

declinet, quod aperte seatur infra quæst. quinta de differentia.

Vnum syncategorematicẽ est, quod significat modum intelligendi terminum faciens illam supponere pro supposito determinate, indeterminate tamẽ: i est, vt supponat determinate pro aliquo supposito, non determinando, an sit Petrus, vel Ioannes: & in hoc sensu tantum sonat, quantum ly, aliquis, vel quiddam. Hoc notato, triplicem statuit conclusionem dicens.

1. Conclus.

Primo, si ly, vnum, categorematicum æquiuocẽ diuidatur, propositio prædicta est vera tribus modis, scilicet, pro vnitate specifica, generica, & proportionẽ; falsa autem quarto modo pro vnitate numerali. Vltimam partem probant duo argumenta ad oppositum. Prima autem ex se patet: & de vnitate specifica, & generica supra quæst. 1. vniuers. probatum manet.

Dices: hanc conclusionem nullatenus tradi debere a Doctore ex ratione talis diuisionis vnus categorematici sumpti æquiuocẽ, vel Analogicẽ: tum quia in æquiuocis non est consequentia; sed sequitur: sunt vnum numero: vel specie: ergo vnum: ergo ly, vnum non diuiditur æquiuocẽ: ergo in diuisione æquiuoca illius præcedens conclusio fundari nequit. Tum etiam quia æquiuocata non se inferunt inuicem: cum in quãtã talia sint conceptibiliter diuersa: sed sequitur: sunt vnum numero: ergo specie: ergo & genere: ergo diuisio æquiuoca vnus non potest stare: ergo nec conclusio.

Respondeo: quod Doctor non sequitur hanc diuisionem vnus: ac per consequens nec conclusionem: sed adhuc eam sustinendo: ad primũ potest dici: quod consequentia non valet: nisi cum distinctione; & sumpro vno, in vno sensu: & sic nõ proprie consequentia; sed quãdam illatio dici debet: vt quæst. quarta Antepædicam. in simili habetur.

Ad aliud dici potest: quod aliud est comparare æquiuocata inter se: & aliud ad tertium, cui conueniunt: primo modo procedit argumentum: non enim sequitur: est vnitas numeralis: ergo specifica: tamen concretive, & in ordine ad tertium sequitur: est vnum numero: ergo specie: ratione concomitantia necessaria: Petrus enim necessario est homo, animal, &c.

2. Conclus.

Secundo dicit Doctor: si vnum Analogicẽ sumatur, & diuidatur in illa quatuor; propositio est simpliciter neganda absque vlla distinctione: probatur sumendo maiorem secundũ argumenti: quancunq; aliquid se habet ad aliqua; vt simpliciter, & secundum quid, si nihil secundum quid addatur ad contrahendum ipsum ad secundum quid, stat semper pro simpliciter: hoc est; omne Analogum per se sumptum stat pro famosiori significato: sed ly, vnum ad illa quatuor se habet huiusmodi; & tantum vnum numero est simpliciter vnum: & nihil a parte prædicati sibi additur, quod ipsum diminiuat: nam ly, homo cum sit eius substantiuum, nullatenus ipsum diminiuit: & valet; ergo sumpto vno categorematicẽ, & Analogicẽ, propositio est absolute neganda.

Sed contra: quod dicitur de aliquibus Analogice, N 5 logice,

logicè, æquiuocè se habet ad illa: nam ille est secundus modus æquiuocationis: vt patet primo. Elenchorum: ergo secunda diuisio non differit à prima: ergo nec conclusiones istæ differunt.

Secundo, Doctor quæst. 16. Elenchorum vult: quod terminus Analogus per se positus æque importat sua significata: & quod habet reduci ad primum modum æquiuocationis: hic vero videtur expresse dicere oppositum: vt patet in conclusione: igitur, &c.

Respondeo ad primum: quod iste terminus, secundum quid, dupliciter accipitur: vno modo, vt opponitur ly, simpliciter, sicut accipitur, in fallacia tali primo Elenchorum: quando, scilicet terminus cum addito distrahente accipitur: alio modo sumitur pro minus principaliter tali, verè tamen, & formaliter tali: exemplum primi, vt homo mortuus; exemplum secundi, vt accidens respectu substantiæ: argumentum igitur procedit primo modo: Doctor autem loquitur iuxta secundum.

Ad secundum dico: quod loquitur primo Elenchorum strictè, & ex vi vocis significantis; & ex propria mente: hic vero loquitur famosè; & secundum communiter loquentes. Vel dicitur; quod ibi loquitur de Analogo æquiuoco; hic vero de Analogo vniuoco.

7. Concl.

Tertio dicit: si vnum sumatur syncategorematicè, & non significatiue, propositio hæc: plures homines sunt vnus homo: est simpliciter falsa. Probat: prædicatum non potest confundi, vt pro pluribus supponat: ergo non potest subiecto contineri: antecedens probatur: nã si prædicatum, scilicet, vnus homo, confunderetur; maxime virtute dictionis copulatiuæ; & quia plures homines idem est, quod iste, & iste, & iste homo: sed hæc copulatio non confundit prædicatum, vt stet pro pluribus: ergo. Probo minorem: ab inconuenienti: quia si copulatio confunderetur; tunc hæc esset vera in sensu composito: duo, & duo sunt duo: probatur: quia ly, duo in prædicato confunderetur à ly, & & quod non confundatur, patet: quia in sensu composito illa propositio est categorica de copulato subiecto: ergo sibi correspondet vnicam prædicatum: sed tale non potest esse ly, duo; quia falsum est dicere: quod duo, & duo, copulatum, & coniunctum, sint duo: quia, vt sic, sunt quatuor: ergo.

Sequitur etiam: quod in sensu composito quatuor sunt duo: quod est impossibile: patet: in sensu composito, hæc est vera: duo, & duo, sunt duo: si prædicatum confunderetur: & in sensu composito hæc etiam est vera: duo, & duo, sunt quatuor: igitur in sensu composito, per conuersionem, quatuor sunt duo. Quare hæc propositio; duo, & duo, sunt duo; solum in sensu diuiso est vera; & tunc est propositio hypotetica æquiuocens istis: duo sunt duo: & duo sunt duo.

Ad argu.

Ad primū.

Ad argumenta respondet: ad primum: quod ly, participatione speciei debet intelligi à parte prædicati sic: plures homines sunt vnus homo in participando speciem: vt ita determinabile, & de terminans, sint à parte eiusdem extremi.

Ad secundū.

Ad secundum negat consequentiam: quia nunquam determinabile contrahit determina-

tionem; sed è conuerso, & cum nomen adiectiuum determinet substantiuum: sicut & aduerbium verbum: & homo fit nomen substantiuum, & ly, vnus, nomen adiectiuum partiuum: ly, vnus, hominem determinabit, vt stet pro vno numero: & non è contra, homo determinabit vnum, vt pro vno specificè supponat. Quare substantiuum, seu quodcunque determinabile, nunquam limitabit adiectiuum, vt diminute; & secundum quid, supponat; bene tamen illud contrahet, & specificabit large: vt in hac homo mortuus: ly, homo determinat ly, mortuus, vt pro indiuiduo hominis, & non Leonis supponat: & idem dico de homine albo: ceterum substantiuum nunquam determinat adiectiuum ad esse secundum quid, seu diminutum.

Dices: Doctor in tertio dist. 11. quæst. 1. ad tertium principale ait: quod in hæc: Christus est homo creatus: ly, creatus distrahatur per ly, homo: & tamen ly, homo est substantiuum, & determinabile: ergo hic, & ibi sibi contradicit.

Respondeo primo, quod illa responsio est topica, vel aliorum: idè allam assignat. Secundo dico: quod ly, homo est determinatio, & ly, creatus determinabile, modo præ expositio: ita vt ly distrahens large, & extensiuè, sumatur.

Ad tertium, negat consequentiam; propter variationem hominis in antecedente, & consequente, in ratione determinationis, & determinabilis: in antecedente enim tangitur diuisio specifica, vel naturæ: in consequente autem in diuisio numerica: quare assumptum ex Aristot. concedatur: sed in inferendo est fallacia figuræ dictionis, vel consequentis.

Ad quartum negat similiter consequentiam, ad probationem dupliciter respondet primo negando oppositum consequentis conuenienter assignari: non est enim: tantum vnus homo: sed non plures homines: & hoc (vt notanter dicit Doctor) eo modo, quo consequens est propositio vna opposita propositioni multiplici, quæ, vt talis, nec est vna, nec vera, aut falsa: idè pulchre dicitur; si consequens est vnum: vt consequenter exemplificat in littera: vbi tamen non accipit propositionem veram simpliciter, sed adhuc distinguendam; hæc, scilicet, iste, & iste, sunt vnus homo: quæ in sensu diuiso est vera: & similiter illa, pro qua ponitur, scilicet, plures homines. Vnde littera antiqua sic debet exponi: ad probationem dico: quod illud, quod ponitur loco consequentis, si sit vnum, id est vna propositio categorica (de hac enim vnitatem loquitur Doctor) hæc est vna, vt facit sensum compositum, & non diuisum: (in antiquo enim originali legitur: propositio est vera in sensu compositionis, sed non diuisio) ita vt pro ly, vera, ponatur ly, vna, vel vnum, relatum non ad veritatem propositionis, sed ad consequens: quasi diceret: verum est ipsum consequens esse vnum, vt sumitur in sensu compositionis, & non diuisio.

Ceterum melius nos legimus cum Mauritio cuius est prædicta conciliatio, & cum Cardinale Sarnano: vnde hæc propositio: plures homines sunt vnus homo: si faciat sensum compositum; scilicet, iste, & iste, est vnus homo, quæ est

Ad tertium.

Ad quartum.

pro

propositio de copulato subiecto; tunc est omnino falsa: quia ex illa sequeretur, quod duo homines essent vnus homo singularis. Si tamen faciat sensum diuisum: sic dicendo: iste est vnus homo, & iste est vnus homo: ita vt sit propositio Hypotetica vnitatem hypoteticam habens, tunc propositio est vera, cui, vt sic opponitur nõ plures homines sunt vnus homo: non enim stant simul: plures homines sunt vnus homo: & non plures homines sunt vnus homo: bene tamen stant simul: iste est vnus homo: & iste est vnus homo: & tamen tantum vnus homo est vnus homo: quare hæc: tantum vnus homo est vnus homo: non opponitur huic: plures homines est vnus homo, quare textus antiquus ommittendus est: vel ex vitio scriptoris: vel ex inaduertentia Doctoris; vt cuiuslibet Doctissimo passim euenit, dum circa alia ex mente occupatus. Itaque tota solutio stat in negando consequentiam: ad probationem distinguo consequens: nam vel ista propositio: plures homines sunt vnus ho-

mo: æquiualeat vni categoricæ de sensu composito, & de subiecto copulato: & sic est falsa: quia eius opposita: tantum vnus homo est vnus homo: est vera: vel æquiualeat vni hypoteticæ de sensu diuiso copulatiuæ: & sic est vera: quia eius opposita: non plures homines sunt vnus homo: stat cum antecedente: scilicet, vterque istorum est vnus homo.

Secundo respondet: quod admissio, quod hæc: tantum vnus homo est vnus homo: est oppositum consequentis; scilicet, plures homines sunt vnus homo: adhuc stat simul cum antecedente: scilicet, vterque istorum est vnus homo; nam ly, vterque distribuit pro suppositis diuisim, & non coniunctim: idè dicendo: tantum vnus homo, est vnus homo: nullum suppositum hominis excluditur: quia iste est vnus homo; & iste est vnus homo, vt sumuntur diuisim: &

sub hac ratione, & non aliter, ly, vterque pro eis distribuit.



PRAE.